

Le texte proposé ici est, avec quelques corrections, celui imprimé à Venise, chez Vincenti Valgrisi, en 1553.

IO. BAPTISTAE PIGNAE SATYRAE.

AD ALPHONSVM FERRARAE PRINCIPEM.

Chromis et Mnasylyus in Siciliam navigantes ventis in Africam deferuntur,  
 ibique illos Portunus et Lamiis servat, inde capris certamen instituunt,  
 quo ad latrunculorum ludum alluditur, et in patriam tutissime revertuntur.

LAMIAE.

S\_1 v.1 Non audita prius referent mea carmina facta  
 2 Pastorum et Satyrum saepe canenda mihi.  
 3 Tu mihi, Pan Alphonse, favens pede labere dextro  
 4 huc ubi templum ingens stat tibi marmoreum.  
 5 In medio effigies tua cingitur arbore festa,  
 6 et nitida pendent ampla tropaea trabe.  
 7 Mox tibi constituam ludos sacraque annua, ludos  
 8 cursibus et jaculis sacraque ture et apro.  
 9 Interea Lamias a primis monstra Camenis  
 10 ordiar ut dicam monstra priora prius.  
 11 Audierant pueri Chromis et Mnasylyus adulti  
 12 Trinacriae tacitos Arcadas ire sinus.  
 13 Invitique domus patrias habitare negantes  
 14 Sileno invito per freta vela dabant.  
 15 Nil potuere preces Aegles ut sisteret illos,  
 16 et junctae precibus nil potuere minae.  
 17 Jamque sequebantur socios felicibus euris,  
 18 atque Syracusium jam prope litus erant,  
 19 cum sabito caelum tenebras contraxit et imbrem  
 20 ignibus et crebris intonuere poli.  
 21 Monticolae nautae pelagique artisque magistri  
 22 ignari penitus deseruere ratem.  
 23 Tum primum ut Boreas pontum ore revolvit anhelu  
 24 illa fugit celeris saxa Pachyne tua.  
 25 Et praeter scopulis veneratas labitur aras.

26 Et Lybiam Syrtes inter utrasque petit.  
 27 Aggeribus curvis hic cingitur Africa tellus.  
 28 Litora arenosis hic madefacta vadis  
 29 huc postquam Lamiae pueros sensere fugatos  
 30 ex antro ad salsas progrediuntur aquas.  
 31 Illis virgineumque decus vultusque venusti,  
 32 pectora sunt illis candidiora nive.  
 33 Tincta manus uncas Sidonia murice vestis  
 34 serpentumque pedes et fera crura tegit.  
 35 Servati interea juvenes persolvere dignas  
 36 Portuno grates consulere patri.  
 37 Dumque una id verbis tractant puppemque relinquunt  
 38 ubera divarum splendida prospiciunt.  
 39 Divae paulatim protendunt lumina in illos,  
 40 lumina de proprio quae patefacta loco.  
 41 Extra materies visus nitidissima fulget,  
 42 qualis ab ardenti flamma remissa face.  
 43 Qualis ab accenso nitor exit Apollinis auro,  
 44 si flammae similis lux foret et radius.  
 45 Vult aetate minor ducendas esse puellis  
 46 cum pulchris choreas et celebranda sacra.  
 47 Assensere omnes socii. Tum puppe relicta  
 48 tendunt ad Lamias attonitique tacent.  
 49 Illae unguis nudant, et qui insunt unguibus hamos,  
 50 atque avidae pueros dilaniare parant.  
 51 Diffugere omnes, portus virtute ministri.  
 52 Et medio cursu terra secata fugae.  
 53 Quae disclusa fuit rapidis ex aequoris undis  
 54 a parte illarum, quae quoque nunc eadem.  
 55 Mox variae facies pelago venere natantum  
 56 grata tibi Proteu turbaque sacra tibi.  
 57 Ut videre gregem Proteu venerabile numen  
 58 excultae celeres arripuere fugam.  
 59 Obscaenique canes aliae redduntur, imago  
 60 Harpyiarum aliis sumitur aut cuculi.  
 61 Inque striges multae conversae, sibila mittit  
 62 et foetorem aer cum furiae hae volitant.  
 63 At timidi Satyri postquam tetigere carinam  
 64 intendunt austro carbasa pulsa levi.  
 65 Nec mora multa, noto Drepani ducuntur ad oram,  
 66 hic Chromis ad socios talia verba dedit :  
 67 "O mecum et terris jactati et fluctibus atris  
 68 placemus patriae numina laesa meae.  
 69 Et quod servarit nos debet ferre Palaemon  
 70 officio ex isto munera magna pio.  
 71 Tu, Mnasye, capras Lilybaei selige nigras :  
 72 albae namque mihi ex valle Selinis erunt.  
 73 Hic quater atque quater campos signabimus octo.  
 74 Illae saltabunt parte ab utraque simul.  
 75 Reges atque duces statuam peditesque equitesque.  
 76 Tu paria effinges bellica castra meis,  
 77 praecedant octo pedites parvaeque capellae,  
 78 rex major medius conjuge cum socia.  
 79 Jungatur gracilis Regis lateri, atque sequatur  
 80 quae magis emineat sitque eques illa ferox  
 81 postremam teneat dux quae sit pinguior arcem.

82 Reginae lateri stent quoque tres similes.  
 83 Quod campum deceat quemque istorum esse quadratum  
 84 diverso has saltu currere quod deceat.  
 85 Tunc cum ludemus melius vos ipse docebo.  
 86 Tunc noscet dominum singula capra suum.  
 87 Bisque octo poenos, quos hic reperire necesse est  
 88 jungemus nigrae militiae pecudi.  
 89 Albae Italos totidem, et superato Rege duellum  
 90 desinet, et pugnae palmula munus erit."  
 91 Haec fatus celebrat ludos. Sacula inde vagantur  
 92 per juga visentes Arcadas et proavos.  
 93 Omnes percurrunt sedes ad stagna Pelori  
 94 adveniunt Scyllae faucibus expositi.  
 95 Mox sibi junxerunt comites aetate peritos.  
 96 In patriam Zephyro mox rediere duce.

Deceptus a Galatea Sylvanus illam per mare errantem in amorem suum multis argumentis inducere conatur, cum verbo ob amorum dissimilitudinem nihil proficiat relicto littore pergat ad montes.

GALATEA.

S\_2 v.1 Sylvanum fugiens Siculis errabat in undis  
 2 jam Galatea natans, nymphisque vagantibus una  
 3 saepius ut risu miserum lusisset amantem,  
 4 ut multos etiam pastores spreverit olim  
 5 jam procul in cursu placido referebat aquarum,  
 6 cum procul ipse pater properans ad litora tandem  
 7 constitit, et subito lachrimis sic coepit obortis.  
 8 "Quid patrem toties silvarum fallere tentas  
 9 crudelis ? Cur saeva lates ? Cur perfida lucos  
 10 despicias atque deos ? Ponto caput exere, nostros  
 11 ne fugias thalamos. Ne post dolitura perire  
 12 me miserum cupias, me perdere denique ni vis,  
 13 huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 14 Per mare phoca natet, teneant immania cete  
 15 aequora, percurrant undas delphines in altam  
 16 polypus ad pelagi versetur conava saxa,  
 17 ne melanurus aquas. Fluctus quos temp erat omnes  
 18 incolat undarum domitor Saturnius ipse.  
 19 Huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 20 Pana deum celebrant Satyri sub frondibus altis.  
 21 Ad calamos utroque premunt pede gramina nymphae.  
 22 Nos Bromium canimus, quo lusu ludere vobis  
 23 dant superi ? Faunum cinguntur tempora vite.  
 24 Vos pelagi potatis aquas, vos pocula Bacchi.  
 25 Huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 26 Hic Zephyris segetes, fluctus aquilonibus istic.

27 Praecipites ponto, liquidae sunt fontibus undae.  
 28 Rupibus antra virent, nudis stant litora ripis.  
 29 Aequoreo strepitu scopuli feriuntur et alga,  
 30 hic volucrum colles resonant arbustaque cantu.  
 31 Huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 32 Est Cytherea quidem spumis exorta marinis,  
 33 has fugit illa tamen, retinetque Cnidumque Paphumque,  
 34 et colit Idalium, montes nemora altaque Cypri.  
 35 Nam licet uratur mediis Neptunus in undis  
 36 non ideo gelidis miscendi fluctibus ignes.  
 37 Huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 38 Nec te detineant blandae (sunt carmina ficta)  
 39 Sirenum voces, neve Oceanitides ullae.  
 40 Nec Thetis. Aufugias Tritones numina saevos  
 41 impia neve senes Phorcus tibi jungere cures.  
 42 Nec placeant Glauci quibus haud altaria fumant :  
 43 huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 44 Quod pecoris custos, linquor. Sed nonne Cybelle  
 45 quamquam ovium custos, amplexu detinet Atym ?  
 46 Oscula saepe viro silvestri Delia figit.  
 47 Pastor Adonis erat, placuit tibi Cypria. Sed tu  
 48 non Venus, at dominum montes me et prata fatentur.  
 49 Huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 50 At mea labra tuis jungi si forte recusas,  
 51 candidulisque tuis dare me mea colla lacertis ;  
 52 ah calathos precor, hosce precor cape, munera nostra  
 53 non renuenda peto, ne sint tibi sordida, vel nunc  
 54 huc ades ut saltem referam quae audisse juvabit.  
 55 Huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 56 Linque fretum, Galatea, lupis nam linquere cogor  
 57 quae male sunt stabulis inclusa armenta, magisque  
 58 me tibi, dum rapior. Quod si sic improba meme  
 59 deseruisse patet, ne me tu linquere pergas  
 60 jam tandem venias tandem miserata precantem.  
 61 Huc ades, o Galatea, fretum, Galatea, relinque.  
 62 Durior et scopulo jactatis surdior undis.  
 63 Et mea verba ferunt ventosi murmura ponti.  
 64 Nonne igitur satius tandem has finire querelas ?  
 65 Fletibus hisce modum jam ponere ? Litora linquens  
 66 sectabor Dryadis Siculis in montibus ipse :  
 67 tu vero, Galatea, Acin, Galatea, per undas.

Dum Cyclops in retia Pantagiam trudit Panico terrore percussus in eadem impellitur.  
 Solviturque ab adveniente Lucretia. Quae captis retibus, et feris et hominibus insidiatur.

CYCLOPS.

S\_3 v.1 Retia queis Venerem Martemque revinxerat una  
 2 Mulciber amplexos, abstulit arte Cyclops.  
 3 Atque haec ad valles inter dumeta tetendit,

4           cernere ne posset nympha fuganda dolos.  
 5       Et jam cum sociis medio sub sole vagantem  
 6           Trinacriae fuerit sallere Pantagiam ;  
 7       ergo per angustum callem ambagesque viarum  
 8           Pantagiam occultas trudit in insidias.  
 9       Dum trudit dumque illam urget, tum forte fatigat  
 10       Pan cornu horribili per juga montis aprum  
 11       ut cornu strepitum tundentem auresque caputque  
 12           senserunt nymphae, sensit et ipse Cyclops ;  
 13       una omnes pariter vano terrore fugatae  
 14           invadunt laqueos et cecidere simul.  
 15       Nec minus ipse doli talis fabricator et artis  
 16           nexibus in propriis stringitur implicitus.  
 17       Sic quoque qui taurum reperit flammamque, repostus  
 18           is prior in Tauro supplicium meruit.  
 19       In lymphas nymphae vertuntur. Sic placet almae  
 20           divae cui sacer est virginitatis amor.  
 21       Diffugere cito fluxu, dictaeque fuerunt  
 22           ob fluxum Graio nomine Naiades.  
 23       Hamis ipse faber solus retinetur aenis  
 24           non pede non illos frangere dente potens.  
 25       Brachia jactasset ; nectuntur brachia, et ullo  
 26           illa modo numquam posse movere videt.  
 27       Flevisset ; sed casus atrox sic reddidit ipsum  
 28           attonitum ut nequeat tradere se lacrimis.  
 29       Ipsam infelicem graviter doloratque catena  
 30           sic premit ut neutrum solvere possit inops,  
 31       jamque satis poenae, peccatum excedere poenam  
 32           non decet. Ergo satis Cynthia dura fuit.  
 33       Venatrix huc forte citum Lucretia cursam  
 34           vertit et evinctum prospicit esse fabrum.  
 35       Et blande, quonam Polyphemi maxima cura  
 36           fato inquit captus ? Talia cum pateris ?  
 37       Tum Cyclops : "Ne nympha, precor, ne talia quaeras.  
 38           Hoc sat quod teneor retibus ipse meis.  
 39       Diripe, namque potes, pendentia diripe ferrea  
 40           extra nodorum sunt capita exposita.  
 41       Me miserum me solve precor, pia nympha, soluto  
 42           me misero officii praemia digna feres."  
 43       Haec ait et fletus deformi lumine mittit,  
 44           et gemitum sociat fletibus ore gravem.  
 45       Interea calamos aptat Lucretia ad arcum.  
 46           Et canibus fidis cingit utrumque latus.  
 47       Mox jubet ut famulae tam immania pondera tollant.  
 48           Hae dominae parent, ille solutus abit.  
 49       Diva manu tractans opera haec vulcania secum  
 50           quod sic accepit munera tanta stupet.  
 51       Haec capit atque inde haec per lucos retia tendit,  
 52           inter terribiles imperiosa feras.  
 53       Hinc sibi signatum traxit Lucretia nomen.  
 54           Nam prius incerta voce vocata fuit.  
 55       Ni potius sit dicta viris quod ferrea, semper  
 56           retia dura paret lucibus ipsa suis.  
 57       Unde tibi libitum ducas Lucretia nomen  
 58           me modo non crucies lumine saeva tuo.  
 59       Parce, precor, me solve precor, pia nympha revinctum.

60 Me quoque tu captum si placet esse vides.  
 61 Captus amore gravi pereo. Succurre puella.  
 62 Depositis calamis mitte puella canes.  
 63 Sat tibi sint oculi vibrantes luce sagittas.  
 64 Sat tibi durities cordis iniqua tui.  
 65 Sat mihi quod curae me tamquam spicula pangunt.  
 66 Sat mihi quod rabidus pectore saevit amor.  
 67 In mea vota animum facilem jam flecte puella.  
 68 Depositis calamis mitte puella canes.

Fatidicae Deae carmina referuntur, quibus celebratus Florentia et ex Medicea familia Cosmus, Petrus, Laurentius, Julianus, Leo, Clemens, Hippolytus, Asdrubal, Alexander, Ioannes, et praecipue invictissimus Dux Cosmus.

FATUA.

S\_4 v.1 Parthenopes Musae mecum majora canatis.  
 2 Non humili Satyrum dicendi carmine lusus,  
 3 sed celebrare domus Cosmi juvat inclyta facta.  
 4 Jam latuere diu cunctis oracula Faunae  
 5 fatidicae. Sed cum medica de stirpe vigentes  
 6 vidimus Etrusci regni regesque ducesque  
 7 Pontifices sacros, quae sint cognovimus illa.  
 8 Namque et adhuc Fatuae haec vatis sic dicta leguntur.  
 9 Pascua juncta meae cerno florentia nymphae.  
 10 Hisque situ sunt nulla magis spectanda, nec ulla  
 11 culta viris animo magis et virtute decoris,  
 12 hic aliis surget proles praestantior, atque  
 13 quod patriam semper, quod se servaverit hostes  
 14 confundens, sumet pellentis nomina morbum.  
 15 Hinc licet in silvis terror nascetur, et omnes  
 16 qui sistet valido servans sua prata superbos ;  
 17 en tamen hinc en qui nomen lucrabitur orbis.  
 18 Et patriae pater alter erit decus omnibus altum.  
 19 Nascetur pariter lauri de nomine dictus.  
 20 Et lauri merito, laurus nam gloria belli,  
 21 pacis honos, frontisque decus, vatumque corona,  
 22 hic vero seu forte velit se opponere diris  
 23 silvarum dominis, seu mores ordine vero  
 24 pastorum formare suis, dare jura quotannis.  
 25 Sive illi commixta choro juvenumque senumque  
 26 fistula grata fiat, viridi sua tempora semper  
 27 fronde coronentur. Validum producet Iulum :  
 28 et Janum sacro qui prima aetate galero  
 29 dignus, quamquam exsul juvenis jactatus iniqua  
 30 gente diu. Sic namque dei sudore petendam  
 31 Constituere viam solidae virtutis, et ipsa  
 32 gloria sic miseros prius hinc super aethera tollit.  
 33 Hunc igitur Panos sapienter jussa secutum  
 34 Felsina pugnantem cernet, Gallosque fugantem  
 35 Ravenna. Et patria pastores inde potiri

36 hunc. Tandem aspicient gaudentes currere ad illum  
 37 denique silvarum princeps spectabitur, omnes  
 38 hunc demum agnoscent, sumet domini ille ferarum  
 39 nomina, tum subito felicia saecla redibunt.  
 40 Fortunata iterum quam vos tunc laeta reviso.  
 41 Tu vero, pater ipse patrum, salve, maxime Salve,  
 42 Pan genite et geniture tuo de sanguine Pana.  
 43 Tu tibi non ullo coges parere labore  
 44 Tuscos, insidias vitabis saepe malorum  
 45 tu insubrum tutae junctus solidaeque columnae,  
 46 praesidium, tibi tota cadet caedetque Togata  
 47 Gallia, et Hesperiam non siveris esse sub armis  
 48 externum pietate tua, tua numina noscet  
 49 quicquid utraque Padi ripa retinetur amoena.  
 50 Te colet omnis ager Jovis in quo cognita dextra.  
 51 Nobilium saeptus turba, cinctusque poetis  
 52 semper eris, qui facta canent tua carmine digno.  
 53 Hac pariter de prole deinde erit alter Iulus,  
 54 mox placidi nomen servans vitamque benigni.  
 55 Is quoque divus erit lucum, litesque subortas  
 56 componet, fractis insigni clade columnis.  
 57 Constituetque alium nemorumque hominumque potentem  
 58 et Latii quaeret late protendere regnum.  
 59 Compositisque infra cunctis ad sidera surget.  
 60 Quid de te referam Virbi, qui vatibus atque  
 61 rerum usu vario doctis, studioque peritis  
 62 naturae bona cuncta tuis sis tradere laetus ?  
 63 Et genuisse equitem Tyrio de nomine dictum ?  
 64 Qui magnum Macedum regem non esse putabunt  
 65 illum qui imberbis sumet quam maxima regna,  
 66 ni quoque mors fuerit juveni nimis impia tandem ?  
 67 Alterius genitor mundi splendoris habendus  
 68 alter Janus erit. Crescet sine fine beata  
 69 progenies. Magis illa tamen tolletur ad astra  
 70 quod decor eximius mundi mox additus illi  
 71 a caelo, quam quod tulerit sic ordine longo  
 72 pastorum dominos nemorum pecudumque potentes.

Faunus Lygidam sequens in Padum incidit, atque ideo indignatus vites omnes fluvio adhaerentes execratiobibus appetit, rustici ob meri nobilis indigentiam ignave terram exercent.

FAUNUS.

S\_5 v.1 Forte per umbrosas errabat Lygida silvas,  
 2 Lygida Hamadryadum Naiadumque decus.  
 3 Et silvestris erat Faunus sub rupe cavata,  
 4 atque illam errantem vidit et incaluit.  
 5 Affixasque animo quaerens extinguere flammam  
 6 his nympham verbis dulcibus alloquitur.

7 "O comes, o semper Phoebi dilecta sororis,  
 8 o pulchra, o diva pulchrior Idalii,  
 9 siste precor, non prata premit nunc Delia cursu,  
 10 retia nunc nulli Delia tendit apro.  
 11 Frustra iter hoc tentas, frustra haec per prata vagaris,  
 12 hoc dominam luco non reperire potes.  
 13 Siste precor, tua forma nimis laedetur ab aestu,  
 14 labitur ex aestu candidus ore color.  
 15 Sol medium torret nunc ardentistimus axim.  
 16 Nunc frontem inficiet fervidus igne tuam.  
 17 Siste precor, dominam hac poteris sub rupe morari,  
 18 hacque umbra radios pellere tabificos,  
 19 tu properas, ingrata meis tu concita verbis  
 20 meque meumque simul consilium renuis.  
 21 Tu properas, ingrata mane, concurrat amator  
 22 Faunus, non praedo, non lupo, aut aquila.  
 23 Eridanumne vides? Claudis tibi ripa recessum,  
 24 te pater Eridanus trans nemus ire negat.  
 25 Nunc tibi succurrat fugiens Peneia virgo  
 26 et quae de calamis nomen adepta suis.  
 27 Caelicolum metuas saevamque Cupidinis iram.  
 28 Te invitam superi, te fera sistet amor.  
 29 Heu miserum. Quo etiam velox, quo tendere pergis?  
 30 Te fluvii numen fluctibus eripiet.  
 31 Raptus Hylas a fonte deae, quo tendere pergis  
 32 non loca tuta, hujus gurgitis ora ruit.  
 33 Mollis ad amnem herba est, velox quo tendere pergis?  
 34 Tu niveam tinges lapsa rubore genam.  
 35 Flecte, puella, pedem: me perdere desine cursu,  
 36 teque etiam, celerem flecte, puella, pedem.  
 37 Flecte, puella, pedem. Languentes nos via reddit  
 38 nos ardor caeli Sirius exanimat."  
 39 Sic ait infelix Faunus. limoque fluente  
 40 plura locuturus lapsus humi cecidit,  
 41 inque sinum fluvii porrecta fronte labantem  
 42 Non se continuit capra licet genibus.  
 43 Illum tunc undae famulum sensere Lyaei,  
 44 atque inimica sibi non tetigere labra.  
 45 Sensit et ipse undas mento hostes esse Lyaei,  
 46 et subito ejectus flumine liquit aquas.  
 47 Moxque omnem lateri vicinam fluminis uvam  
 48 indignam instituit munere Bacche tuo.  
 49 Quodque illi immixtam lympham dedit esse quotannis  
 50 indicat ob nympham se cecidisse feram.  
 51 "Hinc nos juncta Pado fugiamus rura coloni  
 52 non placet ingrato tingere labra mero.  
 53 Vel tu quae Faunum in vites has irritasti,  
 54 Lygida te Fauno jungere non pudeat.  
 55 Tunc arbusta patris Bromii felicius edent  
 56 fructum progeniem qui probet ex Semele.  
 57 Tunc hanc per viridem ripam nos voce canora  
 58 pocula dicemus liberiora Dei.  
 59 Robore tunc magno validi patria arva colemus  
 60 nam vires addunt fervida vina viris."



Adolescentes duo singulorum Homeri librorum singulo quoque carmine complectuntur. Alter *Iliada* a quo nomen sibi proprium traduxit, alter *Odysseam* canit unde et ipse denominatur.

HOMEREPICA.

S\_6 v.1 Laertes Peleusque simul Colophona petebant,  
 2 pastores studiisque pares virtuteque et annis,  
 3 ambo ad Meletem fluvium vati, Aeoles ambae.  
 4 Peleus ad comitem vertit se his vocibus ultro :  
 5 "Ut durum tollamus iter sunt carmina nobis  
 6 alternis cantanda modis, prius ipse libenter  
 7 quae mihi Calliope gravibus decorata cothurnis  
 8 rettulit, incipiam. Tu dic tibi grata vicissim.  
 9 Pestis adest precibus Chrisae, regumque tumultus.  
 10 Vis somni et linguae redigit certo ordine naves.  
 11 Bellum Helenae causa gestum est ab utroque marito.  
 12 Contio fit divum, et foedus, sed foedera frangunt.  
 13 Vulnere Tydidae queritur Mavorsque Venusque.  
 14 Hector et Andromache de bello multa loquuntur  
 15 in solum Ajacem concurrat solus et Hector.  
 16 Contio fit divum, Troes validi Hectore rege.  
 17 Legati nequeunt iratum flectere Achillem.  
 18 Exploratores campo venere ab utroque.  
 19 Ferro Dardanidum primi laeduntur Achivi.  
 20 Trojani audacter Graiorum moenia rumpunt.  
 21 Fert Neptunus opem Danais clam et robora victis.  
 22 Juppiter est somno et deceptus conjugis arte.  
 23 Junonem pelagique deum Saturnius arcet.  
 24 Cuspide Patroclum occidit fortissimus Hector.  
 25 Corpus ob exanimum pugnant Danaique Phrygesque.  
 26 Arma Thetis maesto tradit Vulcania nato.  
 27 Deposita ira tandem in pugnam tendit Achilles.  
 28 Lis inter superos Argivi robore vincunt.  
 29 Aeacidae bellum Xanthi spectatur ad amnem.  
 30 Ter circum muros Pelides Hectora raptat.  
 31 Inferiae instituunt vario certamine ludos.  
 32 Vendit natum patri extinctum victor Achilles.  
 33 Haec Peleus, mox sic Laertes, accipe Peleus  
 34 quae mihi Calliope pariter memorare solebat,  
 35 sed soccis incincta pedes, et tegmine vili.  
 36 Contio fit divum, tutatur Pallas Ulysses ;  
 37 concilium parat ex Ithaca victumque ratemque.  
 38 Telemachus petit aedes Nestoris, et Menelai.  
 39 De se multa refert et de patre filius audit.  
 40 Contio fit divum pelago jactatur Ulysses.  
 41 Fluctibus ejectum suscepit filia regis.  
 42 Virgine susceptus subit aulam utriusque parentis.  
 43 Disci in certamen ducunt Phaeaces Ulysses.  
 44 Lotophagos, Ciconasque canit saevosque Cyclopas.  
 45 Aeoliaeque et Lestrygonumque et Circes acta.

46 Illustres animas quae sant per Tartara narrat.  
 47 Sirenae recinunt et Phoebi armenta necantur,  
 48 Phaeacum auxilio patriam est ingressus Ulysses.  
 49 Hospes in Eumaei campum pervenit amici.  
 50 Ex Lacedaemoniis Ithacenses attigit oras.  
 51 Telemachus proprium genitorem denique noscit.  
 52 Agnoscit dominum catulus peregre redeuntem.  
 53 Post Laertiaden et Irum mox dona sequuntur.  
 54 Ex cicatrice sua vetulae fit notus Ulysses.  
 55 Juppiter ex tonitru metuentes reddit Achivos.  
 56 Penelope spondet sese tendentibus arcum.  
 57 Potantum ferro fit caedes multa procorum.  
 58 Uxor laeta virum tandem vix credula cernit.  
 59 Ad patrem accedit cum nato victor Ulysses."  
 60 Talis erat cantus Laertae, talia caro  
 61 cum socio dixit, post haec Colophonis et agrum,  
 62 et silvam aspiciunt, hi cum grege paupere silvam  
 63 tunc petiere polo cum surgit vesper operto.

Cum Oceani nymphis personati pueri colludunt. Hincque saturnalia nostra significantur, at viri aliqui de ludis certiores facti sumptis puerorum lauris nymphas decipiunt. Ipsae compressae tandem silent.

#### LAURATI.

S\_7 v.1 Insulae Oceani extremis spectantur in oris  
 2 quae dictae Graio nomine sunt Satyrae ;  
 3 quod teneant illas homines qui more ferino  
 4 vivunt et venerem sunt in utramque citi ;  
 5 quod ruffi, quod equorum habeant de clune patentem  
 6 caudas, Euphemus Car prior asseruit.  
 7 Ibat in Italiam, sed tempestatibus acta  
 8 huc tandem ventis pulsa carina fuit.  
 9 Ipsaque mox rediit gentisque expressit agrestis  
 10 ritus et sedes multaque quae latitant.  
 11 Fama est quod quondam fido narravit amico  
 12 historiam quae nunc est referenda mihi.  
 13 Oceani in Satyra conjungitur Amphitrite  
 14 nymphis quae pelagi per freta cuncta natant.  
 15 Hic Dea magna tenet templum quod pumice structum,  
 16 altare in medio coraliisque rubrum.  
 17 Hic nymphas quoties Jani venere calendae  
 18 suscipit ipsa omnes, et choreas agitatur.  
 19 Forte colebantur sacri ludique, diesque,  
 20 cum pueris pariter ludere cura fuit.  
 21 Ligneus erigitur Bacchus sertisque corymbi  
 22 et phiala ornatur pondus aselle tuum.  
 23 Vestibus induti multi muliebribus astant,  
 24 arte laboratis et tacite properant.  
 25 Vimina circumdant alios glaucisque papyri

26 et tremula illorum surgit arundo manu.  
27 Contectis hedera bigis pars vecta triumphum  
28 carmine concelebrant et modulante lyra.  
29 Ad crotalum saltant pedites, atque inde sequuntur  
30 qui nudi in cannis vociferando equitant.  
31 Timpana delectant aliquos et cornua rauca.  
32 Sunt quibus est cordi vascula ferre humeris.  
33 Et saepe ex illis latices haurire cruentos,  
34 atque ipsum ex illis fundere saepe merum.  
35 At quamvis diversi habitus, cuncti tamen ipsa  
36 frondibus ora tegunt corticibusque cavis.  
37 Qua parte expirant nares et lumina cernunt,  
38 signa ibi sunt aptis facta foraminibus.  
39 Talem vultu formam assumunt, qualis amictus,  
40 qualis et ornatus corporis est reliqui.  
41 Namque senes siqui referunt, promissaque barba  
42 magnaue sunt istis fronte supercilia.  
43 Sed personati sub imagine virginis aptant  
44 ad roseas crinem flavaque vincla genas.  
45 Postquam ducta satis pompa est hinc inde, nivosum  
46 ascendunt montem qui sacer est Genio.  
47 Componuntque globos pressos palmisque volutos.  
48 Seque petunt gelidis per coryleta pilis.  
49 Huc quoque pendebant famulae maris, ast ubi larvas  
50 viderunt trepidae corripuere gradum.  
51 "Sistite conclamant pueri, colludere gratum est  
52 vobiscum, placidae sistite quaeso deae.  
53 Nos sumus imbelles, validos horrete parentes.  
54 Integer est nobis et sine fraude animus."  
55 Haec referunt ridentque simul frontesque serenas  
56 denudant. Illae cum sociis remanent.  
57 Postera surgebat croceo lux aurea caelo,  
58 jamque parum igniferis astra fugarat equis,  
59 cum subito natu majores se quoque miscent  
60 ipsis cum pueris in nivibusque manent.  
61 Crura latent tantum, et parvi sic este videntur.  
62 Nam vultus Larvis et senium tegitur.  
63 Cum his nymphae pariter certant et saepe latentem  
64 incautae ad penem confugiunt manibus.  
65 Silvestres homines stimulis agitantur acutis  
66 vixque furore acti dissimulare queunt.  
67 Tandem conatu nudarunt membra virili  
68 nec potuere diu ferre retenta nimis.  
69 Incurrunt in eas : intensoque inguini equino  
70 et validis multae succubuere viris.  
71 Et Clytie, et Panope, et Chrysio et Laomedea,  
72 atque Erato, atque Actaeae, atque Thoe, atque Sao.  
73 Metisque, Dorisque, Pherusaque, Callirhoeque,  
74 innumeraeque aliae quas memorare piget.  
75 Hae primum attonitae, mox clamant vocibus altis.  
76 Sed postquam noscunt dulcia furta silent.

Postquam Satyri nymphas Arcadiae flectere nequeunt, se Latium petituros simulant, nymphae imprudenter in fontem ingressae, mox fugatae in diversas formas transmutantur. Satyri omni spe destituri in Latium tendunt.

NYMPHAE.

S\_8 v.1 Nympharum cum saepe dolis agrestia Panes  
 2 numina delusi, Satyros in montibus altis  
 3 Arcadiae, nemorumque deos pecudumque magistros  
 4 convenere simul, cunctisque silentibus ora  
 5 sic senior solvit : "Quod nos gratissima Baccho  
 6 turba diu nimium nymphis spernamur ab istis,  
 7 non decet, o socii. Potius nos fallere cunctas  
 8 has decet, o socii. Capiuntur fraude reperta.  
 9 Nec tentanda via est qua nostris viribus umquam  
 10 vi potiamur eis, etenim metuentibus ipsis  
 11 insidias Faunum stat semper Delia nymphis  
 12 juncta, vel liquido dum tingit candida fonte  
 13 membra, vel in luco cingit cum retibus illum,  
 14 hicque canes arcusque Deae celeresque sagittae.  
 15 Atque illinc metuenda patent Actaeonis ora.  
 16 Quod si cum miseri saevo flagremus amore  
 17 nos loca nostra procul fugientes linquere velle  
 18 dicamus, caecisque simul versemur in antris  
 19 oclusi, facile nos hinc abiisse putabunt.  
 20 Non timidae in silvas venient, spernentque Dianam  
 21 tutae tandem : illaeque sibi sic retia tendent.  
 22 Quare agite, o comites, nunc alta voce per agros  
 23 ut nemora, ut montes nobis linquenda canatis.  
 24 Vix ea dicta dedit cum frontibus annuit omnis  
 25 Silvanum chorus ista canens diversa per arva.  
 26 "Urimur heu tristes pariter nec desinit ignis.  
 27 Utque leves stipulas calamis crepitantibus urunt  
 28 agricolae, sic nostra suis hae pectora flammis  
 29 Nymphae, nec merito, torrent, quaeruntque feroci.  
 30 Has licet ut Cythisum florentem capra sequamur,  
 31 perdere nos animo. Qui quam ploravimus illas  
 32 crudeles nimiumque feras nostrique doloris  
 33 et fidei immemores testantur pascua, fontes,  
 34 antraque quae nostras referebant sola querelas  
 35 testanturque cavae rupes, silvaeque silentes,  
 36 auctaque nostro saepe fluenti flumina fletu.  
 37 Atque rigata diu campis florentibus arva.  
 38 Haec quoque mota satis nemorosa cacumina nostro  
 39 hoc gemitu testes. Et mollia reddita nostris  
 40 his lacrimis haec saxa licet sint aspera, sed si  
 41 aspera non veluti sunt hae sunt aspera nymphae.  
 42 Testes hisce etiam stupefacti vocibus agni  
 43 immanesque ferae flentes viridesque lacerti.  
 44 Testis et ipse aer toties turbatus, et ipse  
 45 Eurus, qui rapido non pellit turbine caelum  
 46 flamine cum nostro graviore repellitur Eurus,  
 47 cum tamen huic, fera corda nimis, nimis impia corda  
 48 has mage dum sequimur, properent fugiantque superbae

49 nos magis, atque magis, juga nos quoque nostra vicissim  
 50 linquemus, quaerenda novis nova pabula campis.  
 51 Et nova vos pecudes quaeretis pabula, vel vos  
 52 hic sine Silvano multos errabitis annos.  
 53 Nos patria egressi, nos his e dulcibus arvis  
 54 nos durum per iter, perque horrida saxa fugati,  
 55 ut loca forte minus nobis jam sorte molesta  
 56 dent meliora dei, Saturnia regna petemus.  
 57 Hinc trans Asopum cuncti Boeota per arva  
 58 Eumeni rapidos fluctus, Acheloon et altum  
 59 pertransire juvat. Nec tam Calydonius amnis,  
 60 sed frangendus erit cursus refluentis Aratthi.  
 61 Atque per Epirum vicina Ceraunia juxta  
 62 Chaoniam haud tuto gressu transibimus alpem,  
 63 per Macedum fines, montanae nos juga fessos  
 64 Dalmatiae, rupesque cavas, et prata sinusque  
 65 Illyricos penetrare decet, superandaque nobis  
 66 Albani saxeta feri, multisque vetustae  
 67 vallibus Hesperiae, fluviisque subinde relictis  
 68 nubiferi dorsum lustrabimus Appennini.  
 69 Et freta Tyrrheni spectantes litore ab ipso  
 70 in loca Saturni tandem tendemus, et illic  
 71 non Pholoe nostros quaestus, non Nonacris ; at nos  
 72 Janiculum frustra calamos inflare videbit.  
 73 Audiet et collis, quem fama est esse refertum  
 74 viminibus Faunos, Echo resonante per agros.  
 75 Non Ladonis aquae, non Alphei, aut Erymanthi  
 76 sed saturae vallis, sonituque per ima cucurrens  
 77 Ufens antra gravi, sed fontis stagna Numici  
 78 sufficient potum gregibus, nostrumque dolorem  
 79 comminuent. Sic jam poterunt percurrere saltus,  
 80 Parthenios nymphae, gelidasque subire latebras  
 81 Cyllenes, nullis turbatae questibus umquam.  
 82 Interea teneris istarum incisa ferarum,  
 83 arboribus dum ipsae crescent vos crescite signa."  
 84 Haec ait atque locis subito se immittit opertis,  
 85 et jubet ex illis Faunum servare quid illae  
 86 constituent, sociisque jubet, quod cuncta reportet.  
 87 Tum vero nemorum divae audivere querelas  
 88 et voces Satyrum turbae, strepitumque fugamque.  
 89 Nec simulare fugam credentes visere silvas  
 90 incipiunt hilares, Triviamque relinquere tandem.  
 91 Senserat interea speculator fontibus imis  
 92 velle simul nymphas, solasque repellere solis  
 93 ardentes radios, aestusque fugare calores.  
 94 Nuntiat id cunctis. Statuunt tunc ordine certo  
 95 quae loca quisque petat. Sed quae non dulcia amaris  
 96 miscet amor ? Quae tuta ferus non denique turbat ?  
 97 Nam cum silvarum divae venere choreas.  
 98 Ducentes, tunicasque leves demittere gaudet ;  
 99 vix aliquae illarum fontes invadere tentant,  
 100 cum subito properans tardo Silenus asello  
 101 omnia quem pariter stulti novisse putabant  
 102 improvisus ait : "Quo quo nunc Arcades, heus, oh  
 103 quid quid erit ? Retinent quae vos nunc prata sinusque ?"  
 104 His miserae dictis magno terrore trementes

105 obstupuere deae, partimque recedere quaerunt  
106 clamantes, partimque sui sese abdere velis  
107 semianimes, vario commotae corporis actu.  
108 Haud aliter quam si contortis orbibus angues  
109 vere novo linguis lambant se in lumine Phoebi  
110 exuvias inter veteres, et forte viator  
111 illos percutiat, fugiunt et sibila vibrant  
112 nonnulli, remanentque alii capita alta tumentes  
113 attoniti. Velutique lupum cum territa cernunt  
114 e stabulis armenta ruunt, tamen inscia saevum  
115 currere contra illum, dubiis agitata periclis,  
116 non secus et Satyri viso procul impete magno  
117 Sileno, celeres properant omnisque relictis  
118 turba ruit caecis antrorum sedibus, atque  
119 mox timet an potu nimio mage corruat, illos  
120 impediens nymphisque etiam mage noxius. "At jam  
121 sic procul, heus, inquit vino gravis, ebrie gressum  
122 siste nec hinc illas doliturus trudere tentes."  
123 Audiit haec tristis, Bacchoque accensus et ira  
124 quadrupedante fugat nymphas, seque arripit illuc.  
125 Hic mora nulla. Fugit, strepitat, prorumpit in antrum  
126 vociferans, nectarque bibit malesanus et omnes  
127 accusat satyros, illum quod spernere possint  
128 quem nemus omne colit, nemorum quem maximus ipse  
129 Liber amat. Dumque haec memorat descendit equo flens.  
130 Et prostratus humi, viridique in gramine fessus,  
131 propter aquas leni labentes arva susurro  
132 ilicis ad ramos resonantes undique pictis  
133 alitibus, Zephyroque levi spirante sub umbra  
134 se locat, atque alto premitur dulcique sopore.  
135 At dii silvestres per florida currere prata  
136 cum illas prospiciant quas se retinere putabant  
137 accelerant gressumque citant blandaque sequuntur  
138 voce illas nec sic disruptis retibus alto  
139 venantes strepitu percurrunt arva, ferasque  
140 sectantur validi, nymphis fugientibus ut sunt  
141 hi nimis infesti, miserae sua fata fidemque  
142 incusare suam non cessant, atque queruntur  
143 ut volucres soli nimium caeloque sereno  
144 confisae, et subita demissa grandine, pennis  
145 discussis, madidis, et toto corpore fractae.  
146 Dumque vident satyros aliquae, et pia numina multis  
147 implorant lacrimis, divum pietate solutas  
148 fontibus haerentes imis (si credere dignum est)  
149 noscunt se in lymphas. Indutae picta relinquunt  
150 vela fugae studio et membris spoliantur et aura.  
151 Hinc varia herbarum forma varioque colore  
152 prata virent, aliis ob virginitatis honorem  
153 dum se praecipites demittunt, terra dehiscit.  
154 Absorbetque illas. Remanent decora alta comarum.  
155 Quae campos virides diversis floribus ornant.  
156 Haec ubi silvarum domini videre querelas  
157 ingeminant, sonitumque ferunt ad sidera voces.  
158 Illarumque premunt cursum clamore per auras.  
159 Ocius et vento et telis, atque ocius igne  
160 concurrunt, ictuque pedum gemit excita tellus.

161 Dum nonnullae etiam valida radice tenentur,  
162 effundunt vitam, et gemitum, et dum brachia tollunt  
163 in ramos conversa virent, frondesque capilli  
164 et folia evadunt, durescit cortice corpus.  
165 At quaedam illarum cursum cum voce repressit  
166 ad montem, et terrae foveis se abscondere quaerens  
167 est spelunca cavae paulatim reddita rupis.  
168 Quae quoque nunc lacrimans in clauso personat antro.  
169 Cum multis etiam Silvani scindere vela  
170 candida coepissent, quarum sua jungere vellent  
171 pectora pectoribus se amplecti marmora cernunt.  
172 Nam compressae ab eis trepidae, et sine viribus ullis  
173 pallentes remanent, stupefactaeque agmina Faunum  
174 mirantur, ceu saepe solent arcusque canesque  
175 inter mille neces immotis cernere cervae  
176 luminibus. Sed dum vestes animamque relinquunt,  
177 et gelidus currit circum praecordia sanguis,  
178 atque in corde vigor residet (mirabile visu)  
179 membra modo fuerant quae mollia saxea fiunt.  
180 Illa tamen retinent venarum signa, geluque  
181 extra perpetuum illis est, sed vivida virtus  
182 interiora fovet, fractisque extruditur illis.  
183 Sunt aliquot pariter quae numquam sistere, numquam  
184 vertere sese audent, ast usque ad litora Ponti  
185 currunt Arcadium linquentes, atque per undas  
186 festinant, pelagique deae redduntur ab undis.  
187 His ita mutatis, harum sunt nomina ficta  
188 Naiades, Dryadesque, Hamadryadesque, Napaeaeque  
189 et dictae Nereides udae, et Oreades altae,  
190 numina dissimili et conversa sede locata.  
191 Postquam vero omnes varias sumpsisse figuras  
192 dignoscunt Satyri : hic lapides procumbit in albos.  
193 Illius herbosos perstringunt brachia campos.  
194 Ter multi vitream conati tangere lympham,  
195 ter frustra misere manus dum fugit in illam.  
196 Innumeros etiam frondes laniare videres,  
197 exire e ramis tepidum cum voce cruorem ;  
198 et cum fletu illos ingenti reddere voces,  
199 verbaque prae nimio fletu retinere coactos,  
200 osculaque arboribus lacrimis madefacta tenellis  
201 figere. Sed nymphas cum jam sat saepe vocassent  
202 talibus incusant verbis pia numina caeli :  
203 siccine fata nimis dira et crudelia demum !  
204 Sic et iniqua solent tandem contingere ? Nam nos  
205 si violare deas nemorum tentavimus, ipsae  
206 quid meruere deae ? Nobis sumenda nec illis  
207 supplicia haec fuerant. At vero perdere tantum  
208 has nymphas credebat amor, sed perdidit una  
209 ruris delicias, ejusque potentia secum  
210 corrui, et silvae lugent et pabula et amnes,  
211 hic igitur superi sine amoribus omnia sordent.  
212 Et sine nos illis vitam, finire juvabit,  
213 sic fati solidosque pedes villisque refertos."  
214 Ipsorum aspiciunt, et tandem sumere cunctos  
215 inferiora caprae, tum sic vertuntur ut inde  
216 hos pateat veluti cedentes robore nullis

217 terrarum dominos omni ditione potentes :  
 218 sic Baccho et Veneri totos se tradere, sicque  
 219 ignibus assiduis ardentem, vinaque semper  
 220 appetere, ut caprae, quae semper vitibus ipsis  
 221 sunt infestae, et eas numquam sinit arida febris.  
 222 Quod nisi divi essent, mutati corpore toto  
 223 non hominisformam servassent. Attamen illi  
 224 cornua fronte gerunt, capiti quae Juppiter ullo  
 225 non dedit humano. Satyri cum talia cernunt  
 226 capripedes, statuunt se velle relinquere montes  
 227 invisos ; patriae nomen transferre petentes  
 228 quae loca, sed ficte, cantabant esse colenda.  
 229 Ad Tiberim properant. Cujus loca celsa vocarunt  
 230 Arcadium. Quae quod tenuit tunc hosce latentes  
 231 dicta fuit Latium mox ; suntque palatia ab illis  
 232 dicta Palatinum, donecque levare dolorem  
 233 quaerebant calamis, et potu pellere curas.  
 234 Hos pater egregios vates dedit esse Lyaeus,  
 235 et quoscumque forent qui illorum more poetae,  
 236 et septem colerent edentes carmina colles.  
 237 Horum Romulidae quoque sunt ab origine dicti.  
 238 Durum hominum genus et validum superare superbos  
 239 imperium sine fine suis extendere factis.

Herculem puella deperit ab illoque neglecta prae nimio ardore Rhopalon resolvitur. Herbae nodosa radix clavam praesse fert. Flores autem, et folia, amoris, et castitatis sunt symbolum.

#### RHOPALOS.

S\_9 v.1 Liquerat Alcides Thebarum moenia magnum  
 2 cum juveni vellent fata parare decus.  
 3 Dumque casam peteret pastoris forte sub antro  
 4 ut vidit periit candida nympa deum.  
 5 Nam licet illius sensissent pectora nullum  
 6 vulnus adhuc, vulnus suscipit illa tamen.  
 7 Saepe etenim risu cum despexisset Amoris  
 8 tela, puer tandem tela tremenda jacit  
 9 hancque ferit celeri laetus sub corde sagitta  
 10 adventasse diem cum sciat ipse puer.  
 11 Illa domum properans in qua est Tirynthius heros  
 12 introit atque oculis fallere tentat eum.  
 13 Insidias omnes disponit, denique blandos  
 14 saepe offert vultus, saepe reflexa silet.  
 15 Torquet in Alciden flammam dum volvit ocellos ;  
 16 et vaga dum risu lumina figit humi.  
 17 Alcidae pastor cum vellet tradere truncum  
 18 quo posset tuto dilaniare, feras.  
 19 Nympa gerit clavam quae quamquam pondere magno  
 20 hanc premit, huic tamen est reddita amore levis.  
 21 Dumque dedit clavam gemuit, taciteque precata est



22 ut nymphae miscrae jam miserere velit.  
 23 Ast ille intendens saevum superare Leonem,  
 24 non putat aut cernit quid velit illa sibi.  
 25 Hanc neque respiciens abit ; at sic sola relicta  
 26 se in visam credens Amphytrioniadae ;  
 27 incipit aegra locum primo contemnere maesta  
 28 percurrit silvas caeca per antra sedet.  
 29 Ah, quoties edit gemitus, atque implet obortis  
 30 maesta sinum lacrimis dum quatit illa manus.  
 31 Ah quoties nimiis se perdit sala querelis,  
 32 et se dura suis fletibus exanimat.  
 33 Ah quoties manibus molles laniata capillos,  
 34 inque sinum saevit, scindere visa genas.  
 35 Flebilis illius resonat vox semper in antris.  
 36 Illius ad gemitus ingemit aura levis.  
 37 Sole sub ardenti tenebris vel nocte coactis  
 38 maerori semper se dedit illa suo.  
 39 Nec fugiente die, nec decedentibus umbris  
 40 diffugiunt animo vel dolor aut lacrimae.  
 41 Sed veniente die, sed descendentibus umbris  
 42 adveniunt animo, tum dolor, et lacrimae.  
 43 Infelix, et saepe trahens suspiria ab imo  
 44 pectore sic secum saepe locuta fuit :  
 45 "Me miseram tandemne mei miseratus amorem  
 46 hic ferus hic, quem sic hinc abiisse juvat ?  
 47 Hunc juvat ut peteret lacerandi lustra Leonis,  
 48 vitae subsidium deseruisse meae ?  
 49 Quam bene conveniunt hujus moresque ferarum ?  
 50 Hic simul atque ferae quam bene conveniunt ?  
 51 Impius est : scopulis, non summo est ab Jove natus.  
 52 Tigride de saeva est editus Armenia.  
 53 Ah, pereat quicumque cupit liquisse puellam  
 54 cujus in amplexu vivere digna fuit,  
 55 nam licet Alcida supremi ab origine patris  
 56 robore vel summo tu deus esse velis ;  
 57 non ego sum pecudum custodis nata parentis  
 58 silvarum dominae Phoebae ego cara fui.  
 59 At mihi quam satius fuerat non perdere Daphnim :  
 60 sit licet is pastor sis licet ipse deus.  
 61 Atque preces pulchri non irrisisse Lycotae,  
 62 munera non Lini, carmina non Doridis.  
 63 Cur potius molles non duxi nuda choreas  
 64 dum canerent Clio dumque Napaea mihi.  
 65 Frondeque sub viridi frontem redimita mitella  
 66 ad calamos terram cur pede non pepuli ?  
 67 Nunc vero quid agam ne tela Cupidinis obsint ?  
 68 Quid faciam, miserae quae mihi consilia ?  
 69 Ismenumne petam quaeramne immergier undis  
 70 fluminis in fluctu depositura facem ?  
 71 Tene ego lustrabo percurrens antra, Cithaeron ?  
 72 Attica vel potius litora sola petam ?  
 73 Quid loquor, ah demens ? Locus est tibi nullus, abibis.  
 74 Ast erit ille comes, teque sequetur amor.  
 75 Non alae, non arma juvant, non uncta carina,  
 76 te tenet ille potens, te ferit ille ferus.  
 77 Tuque foves illum gremio, tu vulnera sentis.

78           Si fugias etiam pectore vulnus ales,  
 79           ergo mihi tandem cum spes sit nulla salutis ;  
 80           ni tu sis columen praesidiumque meum.  
 81           Quae mihi tu rapis, Alcide, vitamque animamque  
 82           ni vis dispeream redde mihi exanimae,  
 83           venti verba ferunt, saltem miserere puellae  
 84           quam periisse tuum perfide crimen erit.  
 85           Jam redeas, jam flecte pedes, jam perfide nostra  
 86           perfide suscipias languida membra sinu."  
 87           Sic ait et duplices mittens in pectora palmas  
 88           ingemit, et cupiens dicere plura silet,  
 89           fessaque cum nequeat flammis malesana mederi  
 90           concidit herboso semisepulta toro.  
 91           Et dum alium quaerit visu sibi fingere amantem  
 92           Hercule despecto non minus ardor inest.  
 93           Uritur infelix intus victorque Cupido  
 94           ignibus inclusis interiora tenet.  
 95           Purpureusque velut floris sub lampade Phoebi  
 96           decedit nimio pressus ab igne color.  
 97           Non aliter nimium saeva combusta Dione  
 98           decidit illius forma decusque genis.  
 99           Vertitur in crines coma : fit mox hispida fronte,  
 100           luminibus tortis horrida, sicca labris.  
 101           Singulaque evadunt pallentia membra puellae,  
 102           altera paulatim corpore visa fuit.  
 103           Tum sociae quaerunt tanti quae causa doloris,  
 104           altera cur sit sic ipsius a facie.  
 105           Cum vero noscat sensim decedere vita  
 106           Herculis ex igni se periisse refert.  
 107           Hic nequeunt oculis nimium retinere dolorem  
 108           Naiades teneras inter Hamadryadas.  
 109           Nymphae namque gemunt casum et crudelia fata,  
 110           quod cogant illam funera acerba pati.  
 111           Et modo caelicolas incusant, turgida velo  
 112           lumina tergentes candidiore manu.  
 113           Et modo suspiciunt atque orant sidera ut illi  
 114           auxiliatrici dextera sint radio.  
 115           Dumque dolent nymphae properantis ad ultima vitae  
 116           fata suae finem solvitur in lacrimas.  
 117           Et simul ipsa faces intus nutritque fovetque,  
 118           sic illis humor deficit his anima.  
 119           Herbaque sit tandem, comixtaque pluribus herbis  
 120           vix inter multas noscitur ex aliis.  
 121           Noscitur illa tamen quod lymphis irrigat arva,  
 122           et fluit ipse locus latior ex lacrimis.  
 123           Quamque tulit retinet nodosae robora clavae  
 124           radice intorta, dicitur et Rhopalos.  
 125           Noscitur inde magis maciem quod floribus ipsa  
 126           non simulet vultus, pallida et atra sinu.  
 127           Et croceos etiam dum mittit saepe colores  
 128           judicium febris signaque amantis habet.  
 129           Quodque animo tulerit constanti Cypridos ignes  
 130           interit haud umquam perpetuoque viret.  
 131           Notaque post etiam, quod quilibet ore momordit  
 132           hanc, Veneris numquam dulcia furta sciet.  
 133           Hanc fugiunt satyrique et agrestia numina Fauni ;

134           Silvanum non haec, haec neque Pana tenet.  
 135       Sed properant nymphae foliis innectere crinem  
 136           floribus ex variis et tibiserta parant ;  
 137       nam quaecumque fovet casto sub pectore flammam  
 138           tempora devincens hanc colit atque legit,  
 139       at quoniam periit cupiens Jove vincula nati  
 140           conjuge non tanto digna puella viro.  
 141       Ne tu avidus nimium excelso flagreris amore  
 142           o quicumque deas in tua vota cupis.  
 143       Illicitos nam forte toros si poscis amatae,  
 144           cogeris nimio tostus amore mori.

Ex omnibus fere Italiae locis quondam illustribus concurrunt in Hetruriam pastores,  
 ubi Daphnis Iohannis Salviati Natalem celebrat, atque una cum sociis futuram ejus vitam  
 concinens illam laudibus extollit.

SALVIUS.

S\_10     v.1     Te, Salvi, nos nostra licet sit rustica musa  
           2     nunc canimus. Vos nunc vestri quo carmine Daphnis  
           3     laudes atque decus magni celebrarit alumni,  
           4     et quibus e silvis pastores ante vocarit,  
           5     dicite Pierides, vobis haec omnia nota.  
           6     Est locus Etrusci nemoris sub frondibus altis  
           7     religione Deum et majorum more colendus.  
           8     Quem cingit Minio lateque fluentibus undis  
           9     irrigat, arva suo reddens florentia cursa ;  
 10       rupibus hinc haerens variis hinc gurgite vasto  
 11       monte sub Atlantis natae situs alpe profunda  
 12       huc omnes magno properarunt agmine Tusci,  
 13       qui Perusina colunt, Volscis qui collibus astant  
 14       qui Calabris mixti, mixti qui gentibus illis  
 15       arida quas inter montes Apulia claudit.  
 16       Praecipueque pii comites qui jugera arabant  
 17       Aeneae, Venusina tenent qui pascua late.  
 18       Et qui Parthenopes soliti sunt findere campos.  
 19       Divitis agrorum Capuae venere coloni,  
 20       Cumarumque viri memores cecinisse Sibyllam  
 21       affore Tyrrheno natum de sanguine saecla  
 22       aurea qui condet sancte, votisque vocatus  
 23       sub Jovis imperio rediget lunata ferentes  
 24       scuta viros, valide positus sub Tartara bellis.  
 25       Oscaque gens venit longa comitante caterva.  
 26       Oscaque non solum, sed cui quoque litora curae  
 27       et quicumque lacus Campani nomine dicti.  
 28       Accedunt Rutuli queis quam dedit Ardea famam  
 29       abstulit Afranius. Simul ac Albana juvenus,  
 30       urbs ea cui fuerat quam non videre minores.  
 31       Accedunt hilares qui jam nemora alta tenebant  
 32       Praenestina, quibus quondam Vulcania proles

33 praefuit, et veniunt gaudentes vertere glebas  
 34 Telegoni, matris gladio qui occisit Ulysses.  
 35 Atque omnis Latio discessit rustica turba  
 36 vos quoque vos Umbri quos jam ditione tenebant  
 37 Etrusci, celeres cuncti concurritis illuc.  
 38 At quid mente mea veteres cecidere Sabini  
 39 ante alios laeti, sacrisque quiritibus olim  
 40 unde et nomen habent, celebres praestare solebant.  
 41 Quos etiam Picenus ager nutritque fovetque  
 42 his mora nulla fuit, fuit his mora nulla Togata  
 43 Gallia quos pascit pecudum frugumque referta  
 44 advenere novo mulcentes carmine turbas  
 45 Seriadum quae Minciadum vestigia adorant,  
 46 Mincius has senior genuit, sed serius illas  
 47 quae et ventura canunt rediisse et saecula beata.  
 48 Quaeque colunt Athesim tenerae sunt ordine pulchro  
 49 his junctae, curruntque simul saliuntque per agros.  
 50 Nec minus interea currentes Insuber istas  
 51 insequitur, certatque prior dignoscere Tuscos.  
 52 Et parte ex alia discedens litore ab udo  
 53 advolat ipse Ligur, nec cessant hi licet absint  
 54 quos extrema tenent loca, quae nunc Adria metis  
 55 fluctibus, et lambit placidis, et lenibus undis.  
 56 Et qui utrumque caput latus ac utrumque superbi  
 57 spectant Appennini, et quotquot more Latino.  
 58 Viventes, aptique sacris ad moenia Regii,  
 59 Nicaeae, atque Polae, fines discernere possunt.  
 60 Hi loca silvae certa invisunt Daphnidis omnes  
 61 omnibus est etenim Daphnis dilectus ab istis  
 62 qui postquam exposuit quae sit sententia menti,  
 63 Salvius ortus eis cum sit quod rite colendus  
 64 Pan deus est, veluti quod Pan sit Salvius ipse ;  
 65 quae fuerant albae caprarum viscera tosta  
 66 ferre jubet famulos Cererisque et munera Bacchi.  
 67 Incipiunt socii pratis discumbere pictis.  
 68 Ipseque mox alii sacra cum sede sederent  
 69 se locat herboso confecto gramine trunco.  
 70 Tunc arae qui pastor erat qui cuncta ministrat  
 71 disposuit dapibus pueros, hos ordine certo  
 72 collocat ad mensam, jubet hos praeesse canistris.  
 73 Itque reditque chorus juvenum, nova pocula ponit.  
 74 Vescitur interea comitum pulcherrima turba.  
 75 Cum compressa fames, epulis mensaque remotis,  
 76 dum modo crateras statuit, modo vina coronat ;  
 77 tota simul clamat conversa ad lumina Phoebi :  
 78 "Este procul, procul este procul, procul este profani.  
 79 Pana canit, celebratque deum : quod cornua lunae  
 80 cum solis radiis capiti fulgentia gestet.  
 81 Aetheris ostendat rapidi quoque fronte nitorem.  
 82 Stellarum varias referat quod pectore formas.  
 83 Hispidus existat veluti virgulta, feraeque.  
 84 Quod pedibus caprae solido cum robore signet  
 85 effigiem terrae. Est illi quod fistula collo  
 86 disparibus septem calamis compacta sonoris,  
 87 ut pateant caeli septem discrimina vocum,  
 88 atque soni septem. Teneat quod corpore cuncta

89 quae natura parens genuit. Tu pabula laeta  
90 sufficis et fontes liquidos, armentaque servas.  
91 Tu, custos ovium, gregibus tu vellera tradis  
92 et teneros oculis servas si videris agnos.  
93 Te tua Penelope genuit, te Juppiter ipse  
94 sub caelo dominum statuit, rerumque parentem.  
95 Te natura parens coluit, tibi templa sacrarunt  
96 marmore de solido, et fulvo contenta metallo  
97 pastores, referuntque cavae tua nomina valles,  
98 nosque tibi optamus grates persolvere dignas  
99 hac mage de causa quod nostra altaria postquam  
100 Salvius in silvis ortus, nunc auxeris, omnes  
101 quam quod tuteris pecudes et praedia nostra.  
102 O decus, o rerum genitor, pater optime mundi,  
103 silvarum nemorumque potens pater optime mundi,  
104 nate Deo celeri, seu tu nunc prata Lycaei  
105 summa colis gelidi, placet et tibi Maenalus ipsa  
106 sive per ignotas rupes deserta peragras  
107 Arcadiae, seu bella canens violenta Gigantum  
108 in superos, generis Latonae proelia laudas.  
109 Sive mali defles calamis Syringa levamen :  
110 huc ades o Tegeae favens, Pan maxime divum,  
111 Pan pater omnipotens caeli certissima proles  
112 sis felix. Salvique tui venerabile nomen  
113 et mentem placidam serva, vitamque salubrem."  
114 Talia dum referunt, ursi de pelle galeris  
115 de stipulis, de lana, frondem involvere pini  
116 nituntur, pinumque gerunt sua quod Pitys ista  
117 arbor erat, ramosque gerunt dum Palladis omnes  
118 exsultant pueri silvis exposcere pacem.  
119 Atque vocant faciles modulato carmine nymphas.  
120 Vocibus orantes blandis et dulcibus illas,  
121 quod veniant, quod rite simul colludere possint  
122 accedunt celeres (secum tunc ire licebat,  
123 tunc illae poterant tuto percurrere silvas)  
124 mollibus illarum frons est redimita corollis.  
125 Atque simul junctae cantant, ducuntque choreas,  
126 floribus immixtae, manibusque ex ordine nexis,  
127 ad calamos plantas quatiunt, et brachia jactant  
128 ac utrumque latus, pedibusque ter aethera pulsant,  
129 ter tellus resonat, repetunt ter, terque reflexus.  
130 Postquam jam luxu, choreis jam mollibus omnes  
131 cessarunt nymphae, Daphnis sub tegmine Pini  
132 constitit, et placido cunctis haec edidit ore :  
133 "Illum cum tandem liceat dignoscere nobis  
134 advenisse diem, finem quo afferre labori  
135 Dis placitum nostro, curasque repellere corde.  
136 Atque metu posito postquam permisit Olympi  
137 regnator diros linquant ut pectora tandem  
138 nostra dolos, fugiantque procul nunc horrida bella,  
139 cumque Deum superi permittant visere silvas,  
140 dicite jam pueri sacra carmina, dicite nymphae.  
141 Salvius ille etenim quo non praestantior ullus  
142 venit in has silvas, major nec floruit alter ;  
143 nunc cultor nemorum caelo demissus ab alto,  
144 omnibus e terris cum surgant omnia laeta,

145 pristina regna suis reddet Saturnia campis.  
146 Dicite jam pueri sacra carmina, dicite nymphae.  
147 Pan deus ipse pater liquit cum Tibridis undas  
148 Arcadium loca prima petens, custode relicto  
149 formosi pecoris ; paulatim sordida rura  
150 vidimus et miseros ruris pecudumque ministros.  
151 Quod nisi tu tandem venisses maxime Salvi,  
152 maximus atque diu nobis deus ipse futurus,  
153 omnibus alma salus, et servans omnia solus,  
154 non rediturus honos cecidisset frondibus ipsis,  
155 laetaque non essent nunc laeto prata colore.  
156 Dicite jam, pueri, sacra carmina, dicite, nymphae.  
157 Colchica cuncta cadunt diro repleta veneno ;  
158 concidit herba nocens gregibus, serpensque malignus  
159 concidit, atque lupi silvarum pabula linqunt ;  
160 antra petunt, properantque citi tristesque pavescunt ;  
161 atque metu summo retinentur rupibus imis.  
162 E stabulis armenta ruunt, errantque per agros  
163 perque vias per et alta feris vix addita lustra,  
164 ducta cane aut tauro nullo, nulloque bubulco.  
165 Dicite jam, pueri, sacra carmina, dicite, nymphae.  
166 Sunt quae apud Assyrios, nascuntur plurima vulgo  
167 sponte sua, croceosque ferunt siler atque salicta  
168 flores, et veniunt nunc alta fronde genistae.  
169 Cardue narcissum, fers et paliure hyacinthum.  
170 Dulces sunt salices, hic acria dulcia pruna.  
171 Montibus his frondent lapides, et stipite dura  
172 nunc arbusta virent, floret nunc aspera cortex.  
173 Parturit arbos omnis et herba vestit agellos  
174 Juppiter e celo descendens roscidus imber :  
175 dicite jam pueri sacra carmina, dicite nymphae.  
176 Nectar apes roseum distendunt omnibus arvis  
177 e saxis, atque currunt, nitidaeque relucent.  
178 Non gelido flatu, non diro floribus auster  
179 spirat, nec liquidis obsunt nunc fontibus apri.  
180 Brumaque non audet lymphas turbare Dianae.  
181 Sed viet hic leviter percurrens omnia Chloris.  
182 Dicite jam, pueri, sacra carmina dicite, nymphae,  
183 en tibi, summe puer, nemorum, quae maxima cultro  
184 flora legit violas, caltham casiamque virentem.  
185 Flora tibi nutrix te nunc quae gaudet alumno ;  
186 et dea quae colitur Tusca prece, thureque Tusco  
187 Gadibus extremis, extremis gentibus Indis.  
188 Dicite jam, pueri, sacra carmina dicite, nymphae.  
189 En tibi nunc Zephyris spirantibus aurea surgunt  
190 lilia, nec valles sed sala cacumina tangunt.  
191 Divae cara satis Senae, Rhodanique tumentis.  
192 Quae sata stirpe tua quod sit, magis illa superbit,  
193 et magis illa tumet, quam quod vix illius arva  
194 Oceanoque patri claudantur et Alpibus altis.  
195 En tibi nunc rident lymphae, nunc collibus herbae  
196 rident, atque novis revirescunt frondibus arva.  
197 Dicite jam, pueri, sacra carmina dicite, nymphae.  
198 Aspice quae portent calathis hucusque canentes  
199 munera Naiadesque Tagi, Gangisque beati.  
200 Et tibi dum veniunt Fauni Satyrique bicornes,

201 Silenique senes silvestria numina, cuncti,  
202 ante pedes, magno properantes agmine gressu ;  
203 aspice quam pulchre quatiant ludente Napaea,  
204 riteque Hamadryades alternis ictibus agros  
205 tunc pedis alterni celeris ; Dryadesque puellae  
206 aspice quae foliis intexant poma nucesque,  
207 ut tibiserta parent, capiti ponantque coronas.  
208 Dicite jam, pueri, sacra carmina, dicite, nymphae.  
209 Nonne vides aquilae volucres ut laedere nolint ?  
210 Ursi hominum placidi mores vitamque sequantur ?  
211 Supponantque jugo tigres nunc languida colla ?  
212 Sintque ferae mites pavidis jungantur et agnis ?  
213 Nonne etiam cernis quam venti nubila pellant.  
214 Diffugiantque nigrae solis nunc luce tenebrae.  
215 Adventuque suo caelestia cuncta nitescant.  
216 Dicite jam, pueri, sacra carmina, dicite, nymphae.  
217 At vos, o socii, colitis si numina vestra,  
218 si pecudes salvas cupitis salvosque juvencos,  
219 hos mea dum leviter componit fistula versus  
220 quos didici a Musis cum me fecere poetam,  
221 fronde sub hac viridi postquam silet aequor et aura.  
222 Nunc canite, o omnes, quae sint salvi acta futura.  
223 Atque illum celebrem conantes reddere cuncti  
224 cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro.  
225 Laurus honos nemorum, laurus gratissima nostro  
226 huic nondum pecoris pastori, stirpis origo  
227 prima suae, veluti fuit et genus ipsa Leoni,  
228 silvarum qui magnus erit custosque decusque,  
229 omnia cui pulchre suberunt. Sed Salvius ipse est  
230 propter aquas Arni, sub ramis arboris hujus,  
231 caelum illi nitide donec lateque paterent,  
232 numine sat dextro pariter castaque favente  
233 Lucina nobis et amico sidere natus.  
234 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro.  
235 Sacra fronde novem puero cinxere Sorores  
236 frontem, post juveni describet doctus Apollo  
237 aurea nec multis concessa in cortice dicta,  
238 ex quibus is noscat quae primi semina mundi,  
239 corpora quae caeli, cunctis quae tradita forma  
240 quae superum natura vicens, quo sidera cursu  
241 labantur, liquidus tantum cur aetheris orbis.  
242 Aethera quid volitet, terram qui pondera librent,  
243 imber, et ignes, undae hominum genus unde ferarum.  
244 Sitque potens omnes rerum cognoscere causas.  
245 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro.  
246 Hic firmatus erit cum jam maturior annis  
247 purpureosque habitus vestis jam sumpserit, ibit  
248 cultus ubi residet latis Hispania regnis.  
249 Occurrentque alacres et quos nimbose Pyrene  
250 et quos alta tenet vicino litore Calpe.  
251 Massiliamque petet Clementis vota secutus ;  
252 hicque comes Regi cernetur maximus esse ;  
253 mox quoque pastores profugi sua linquere prata  
254 ne cogantur, erit semper mente anxius, atque  
255 voce manu miseros servabit saepe cadentes.  
256 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro.

257 Hunc patris Eridani dominantem ripa tenebit  
258 dextera, mox socius senior colet ille sinistram  
259 Herculis, Herculeos non aspernatus honores.  
260 Sic pater Eridanus laetus quod foverit illum  
261 latus erit nitidaeque fluat placidasque per undas,  
262 et magis populifer bis tum spectabitur esse  
263 ulla prius talem quam quod conspexerit aetas.  
264 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro  
265 at vero modo fata velint, modo vita supersit,  
266 hic colet hic triplici devincto crine corona  
267 cultor Aventini Tiberim, hunc et mille triumphis  
268 insignem video, viridi hic succedet olivae  
269 cui incumbunt Charites, et pulchris ignibus ardens  
270 sanctus amor, pax, atque fides ipsaque firma,  
271 junctaque virtuti libertas candida fulgens.  
272 Nec non imperiis raro concordia juncta.  
273 Atque salus primo volitans sub frondibus altis.  
274 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro  
275 vos quoque Parnassi fugientes, et juga Pindi  
276 Pierides septem ad colles properare juvabit.  
277 Atque oleam Cynthi sacram praeponere lauro,  
278 Castaliae Tiberim, spernetis numina Deli.  
279 Atque erit iste ovium custos tum Delius ipse.  
280 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro.  
281 Tuque patris saperum summi dea nata cerebro,  
282 inventrix fueris quod nobis arboris hujus,  
283 et regina deum tibi nunc Saturnia caedit,  
284 ipsa Venus tecum Paride, et si iudice certet,  
285 ipsa Venus dicet Paride, et se iudice victam.  
286 Tu Pallas Graios linques arcemque Latinam  
287 et viridem sacramque tibi servabis olivam.  
288 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro.  
289 Surge, pete, o caelum nunc, atque citissima cresce.  
290 Surge decus domini, caelo nam grata renides,  
291 et locus ipse favet. Spirat nunc aura Favoni.  
292 Isthic exoritur fulgenti lampade Phoebus.  
293 Roreque nunc alitur radix, et salvia circum  
294 nunc viret, et merito fertur nunc esse salubris.  
295 Utque tuae baccae tangantur ab alite nullo  
296 atque ut apes ipsis haud umquam floribus obsunt,  
297 sic neque te caprae lambunt, nec falce maligna  
298 te premit, aut manibus duris, aut fronde colonus.  
299 Cingite, pastores sacra tempora, cingite lauro.  
300 Nunc age surge, Jovi nunc o gratissima, surge.  
301 Nam sic prima viges aliis praestantior ipsa  
302 arboribus, rigidas vincas ut robore quercus.  
303 Viribus et laurum vincas, myrtumque decore,  
304 fructibus et vitem, summoque cacumine fagos.  
305 Ut tibi nunc etiam concedat humillima pinus,  
306 sub qua saepe placet duos lenire labores,  
307 et quae tuta tuo fuerit si numine magno,  
308 non metuet Boream, non caeli flumina dira.  
309 Cingite, pastores, sacra tempora, cingite lauro.  
310 Sed satis, o comites, etenim nec tollitur Atlas  
311 sic capite atque humeris, nec vertice tangit Olympus  
312 sidera sic alte penetrans secreta deorum ;



313 Salvius ut liquidi fertur super ardua caeli,  
 314 et vaga dum rapidis resonabunt flumina lymphis,  
 315 alitibus frondes, nympharum cantibus antra,  
 316 atque levi gelidae ventorum murmure valles :  
 317 Salvius hinc celebris semper volitabit ad astra.

Quaerit Empusa diris carminibus et veneficiis ex Lycia in Lybiam Menippum trahere. Denique cum Avernum satis Stygem precata est, ex quibusdam indicibus se voti sui esse compotem colligit.

PHARMACEUTRIA.

S\_11 v.1 Empusae magicas artes et carmina dico  
 2 quae juvenem subito junxit amore sibi.  
 3 Di quibus umbrarum vires, et Tartara cedunt  
 4 munere sit vestro tecta aperire mihi.  
 5 Postquam discessit pratis Empusa Corinthi  
 6 Plutonis volucres aetheris alta secant.  
 7 Nocturnaeque striges surgunt buboque sinister,  
 8 ut divae comites aggrediantur iter.  
 9 Nec non, et comites impellunt Mormonas aurae,  
 10 mormonas inferni numina dira Jovis.  
 11 Per tenebras volitant vitreis hae navibus insunt  
 12 quas famuli Ditis folleque et ore fugant.  
 13 Illae dorsa super properant strepitantibus alis,  
 14 atque uncis sphingum colla tenent manibus.  
 15 Terrestresque canes alias rapiuntque trahuntque  
 16 hirci nigri alias cornibus impositas.  
 17 Omnibus est studium celerandi curaque cursus  
 18 sed studium variis accelerare modis.  
 19 Dum volitant caelum nubes caligine tingunt,  
 20 et fremitu pulsat regna superna notus.  
 21 At tandem gressu propero venere sub altis  
 22 orae Tyrrhenae faucibus igniferis.  
 23 Hic Empusa ad aquas stabat graveolentis Averni  
 24 nuda genu, crines non religata nigros.  
 25 Quae postquam socias vidit maestissima Circe  
 26 constitit in medio talia voce ferens :  
 27 "Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum,  
 28 ex Lycia tandem Punica regna petat,  
 29 Punica regna mihi parent. Si accedis ad illa  
 30 in mea descendes vota, proterve puer.  
 31 Non Lyciam teneo, remanes si tutus in ipsa,  
 32 in mea non venies vota, proterve puer.  
 33 Cur, ah cur, Lybiam linquens ad prata Corinthi  
 34 perveni quae me surripuere mihi ?  
 35 Cur, ah cur, puerum vidi ? Me perdidit ignis  
 36 quo me sub tacito corde petivit amor.  
 37 Et si fata volunt (quamquam nec fata timesco)  
 38 quod non me assiduis ignibus urat amor :  
 39 redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum.

40 Ex Lycia tandem Punica regna petat.  
 41 Urgenti cura graviter sic ille prematur  
 42 ut pede terribili dira venena premo,  
 43 dira venena tuli, quae mittit Iberia et herbas  
 44 saxaque virginea colchica lecta manu.  
 45 Et sic ille uno tantum vexetur amore  
 46 ut mihi pes solus, solus et ardor inest.  
 47 Nec potus, nec cura cibi, nec cura soporis  
 48 illum detineat nullaque res alia.  
 49 Sed me depereat solam semperque sequatur,  
 50 sed me solam animo pectore mente gerat.  
 51 Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum.  
 52 Ex Lycia tandem Punica regna petat,  
 53 Haec velut in cinerem nunc est conversa cupressus  
 54 quae nequit exstingui fluctibus aut Zephyro :  
 55 ardenti pariter sic ille cupidine flagret,  
 56 et frustra medicus ferre laboret opem.  
 57 Durescatque velut rabidi cruor este draconis,  
 58 et liquidus redeat virus ut iste redit.  
 59 Uraturque gelu flammaque miserrimus, uno  
 60 atque eodem casu plura pericla ferens.  
 61 Et numquam solvi possit flammaque geluque  
 62 ni jecur hoc acie pungere cestet acus.  
 63 Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum,  
 64 ex Lycia tandem Punica regna petat.  
 65 In spiram qualis sese mea vipera tollit  
 66 amnis arenoso mox revoluta toro  
 67 qualis et accipitrum hoc jactatur gurgite pluma  
 68 quam nimis oppressam sistere ripa nequit.  
 69 Talis reddatur nec sit spes ulla salutis  
 70 hic ferus a diris sollicitudinibus.  
 71 Et siquid valeo, sint haec mea carmina tamquam  
 72 pocula quae nautis saga perita dedit.  
 73 Atque magis valeant magis, et quam si ipsa fuissent  
 74 Medae propriis vociferata labris.  
 75 Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum  
 76 ex Lycia tandem Punica regna petat  
 77 indutus cum pelle lupi nigra membra Lybantes  
 78 diceret altitonans ter Chaos atque Erebum.  
 79 Tercentumque deos, et palmas ungeret ambas  
 80 sacro oleo referens verba sacrata simul ;  
 81 horribiles de Orco manes, de montibus ornos,  
 82 sidera de caelo ducere doctus erat.  
 83 Et sine Callicia stringebat fluminis undam  
 84 et motu adverso deripiebat aquas.  
 85 Haec quia dicta a me meus hic praecepit alumnus  
 86 sit quoque vis eadem carmine et arte mihi.  
 87 Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum  
 88 ex Lycia tandem Punica regna petat.  
 89 Eurynomus carnes abstractas ossibus affert,  
 90 cui color in medio pectore caeruleus.  
 91 Monstrum immane ingens exsertis dentibus, ore  
 92 et facie in visum, sed tibi gratum, Hecate.  
 93 Tu facias, Hecate, quod sint sine carnibus ossa  
 94 crudelis pueri ni mihi se dederit.  
 95 Huic etiam adjungo medicinae viscera pulli,

96           distracti pulli matris ab uberibus.  
 97       Tu facias, Hecate, quod factum tale paternis  
 98           crudelem puerum distrahat a laribus.  
 99       Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum  
 100           ex Lycia tandem Punica regna petat.  
 101       Huic operi nostro mala plurima junget Iapis,  
 102           o Cytherea, tuus. Mnuziris hunc reprobat,  
 103       huic operi nostro jungit bona plurima Magnes,  
 104           o Cytherea, tuus. Mnuziris hunc recipit.  
 105       Ergo sub umbrosis ramis Magnete tenaci  
 106           durus hic arte nova fractus iaspis erit  
 107       atque manu inversa spargetur pulvis in ignem  
 108           flagrantis myrti qui crepitat foliis,  
 109       ut casu simili laniatis artubus ipse  
 110           sic quoque dispereat si velit esse ferus.  
 111       Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum  
 112           ex Lycia tandem Punica regna petat.  
 113       Pythagorae nobis pateant arcana potentis  
 114           abdita naturae scire ministeria.  
 115       Armeniae sint nunc desumpta adamantis, athena  
 116           falce secata virens duritiae solida  
 117       quam quoque collegi Mysorum laeta per arva  
 118           auxilium nobis therionarca ferat.  
 119       Therionarca potest nec non adamantis atroces  
 120           et rabie insanas perdomuisse feras.  
 121       Istius immensam sic utraque leniat iram  
 122           ut ni illam posuit non posuisse fleat.  
 123       Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum,  
 124           ex Lycia tandem Punica regna petat.  
 125       Huc ades et palmam celeris fer Lyssa crematam  
 126           lac nigrum, myrrham, balsama, mella, crocum,  
 127       haec flammis lauri cum sant decocta parumper  
 128           hoc ea virgulto concute et adde merum.  
 129       Perfectum ad lunae cursum exsiccata serenae  
 130           fulgens in tenebris est mihi nyctilopa.  
 131       Democriti longo fuit haec sudore reperta  
 132           qua rex Persarum quaelibet obtinuit.  
 133       Hanc capite inflexo inferventia pharmaca mittas,  
 134           et quae extrema salus hostia pulla cadat.  
 135       Redde mihi, Styx atra, meum mihi redde Menippum.  
 136           Ex Lycia tandem Punica regna petat.  
 137       En magicis, en Lyssa tremit terra excita sacris.  
 138           Errone ? Non erro, signa notanda vide.  
 139       Solvuntur Veneris nodi juvenisque vocati  
 140           cerea paulatim tollitur effigies.  
 141       Sponte sua surgit, non venti flamine pulsa,  
 142           non flatu terrae, non agitata manu.  
 143       Omen habe celeri, cursa deserta peragrata  
 144           jam Lybiae, nostra jam prece motus adest  
 145       hic maneat, namque ipsa adero rapidissima, testor  
 146           te, Styx, hunc certo limite siste mihi.  
 147       Siste mihi, Styx atra, meum mihi siste Menippum,  
 148           ex Lycia tandem Punica regna petit.

Pitys per montes Boream fugiens superveniente nocte, et somno a cupidine misso sopita,  
ab amatore qui ex Apeliote ejus intellexit concubitum interimur, deorumque pictate fit Pinus.

## PITYS.

S\_12 v.1 Per acuta montium saxa, per avia nemora  
2 trepidante sola virgo Pitys et pede celeri,  
3 Boream dolo relictum fugit ; illius etenim  
4 gelidus licet, decorem hauserat igne repositum.  
5 Et amore percitus fallere percupidus eam,  
6 varia revolverat, sed neque fraude, neque minis,  
7 neque blandulis puellam precibus capere potens  
8 animo furente conversus in iram ita loquitur :  
9 "Tibi ne esse sic potest haec muliercula domina ?  
10 Tibi concitare cui vis sonum et aequora pelagi ?  
11 Tibi pervicaci ab altis fluvios trahere jugis ?  
12 Tibi quo cava antra, quo et acuta cacumina reboat ?  
13 Licet haec superba quod Pana sequi videat eam.  
14 Tamen arrogantiosem hanc rigidos prope lapides  
15 rape percute, ange vexa, rape percute crucia.  
16 Tegeaeus igneus, maximus a Jove genitor.  
17 Genitor sit, igneus sit, tremebundus is etiam.  
18 Glacie tua ipse contra genita omnia reseca.  
19 Roseas tamen genas, candidioraque nive, jus  
20 lacerare membra ? Quis te furor incitat animae ?  
21 At at illa fugit supplicio sine merito ?  
22 Placidus in hanc eri saevus in omnia Boreas ? "  
23 Dum ait haec amore nec non rabie simul agitur.  
24 Veluti secuta tigris sua pignora fremitans  
25 quod eam relinquerent : ira paternaque pietas  
26 dubium inferunt, grave anne impetat anne remaneat.  
27 Ubi Phoebus inferos quadrupedantibus adiit,  
28 feriuntque fulgido sidera lumine tenebras,  
29 et ubi dehinc videt lassula, quae loca petiit,  
30 nimio soluta cursu, tremefactaque nimium,  
31 faciem sinumque gemens flentibus irrigat oculis  
32 et ni aurea coma complicitis quoque manibus,  
33 trahit haec ab intimo pectore verba miseriter :  
34 "Ut ab omnibus procul gentibus aspera jaceo  
35 prope saxa, ut haec citum in lustra pedem fera tetuli.  
36 Ubi et a quibus licet praesidium petere mihi ?  
37 Aliquamne opem mihi bellua monticola feret ?  
38 Patriam in mea redibo ipsa ubi sim inscia penitus ?  
39 Ubi dulcis o mea domus lacrimanda viduaeque ?  
40 Ubi dulcis o mea mater, Dryades ubi sociae ?  
41 Ubi jam estis ? Obserabit mea lumina digitis  
42 plane mulier ? Erone mortua condita tumulo ?  
43 At erunt mihi ferarum ferta corpora tumulus.  
44 Sed ut hinc, et haec monstra simul truculentia fugiam,  
45 Boream sequar truce saevo credita domino ?  
46 Ego per agros, ego per splendidulum solita lacum,

47 ego vitreae decus aquai, ego graminibus honor,  
48 ego flos puellularum placida, et tenera satis,  
49 ego Deliae comes, ejus choreas agere sciens,  
50 rigidum sequar deum per Rhodopes juga nivibus  
51 redimita ? Caucasum sidera qui senet humeris  
52 rigidum, vel insularum potius stabula colam,  
53 quibus Aeoli instrepunt caeco carcere famuli ?  
54 Misera, ah misera, gemo, nec mihi consilii aliquid.  
55 Quid agam ? Quid in his umbris ? O quae me rapiant, et hinc  
56 moribundam in urna condant." Super his magis etiam  
57 lacrimatur, atque mox verbera, verbaque pariter  
58 geminant. Felices horae quibus est ratio brevis.  
59 Nam ubi Pan videt querentem hanc, subito affuit, hilari  
60 facie, micante cornu, et radiantibus oculis.  
61 Superatur haec tandem. Antra ingrediuntur in eadem.  
62 Tamen ipsa fingit metuens, neque amans. A mor itaque  
63 animo ferens id aegro, repetensque memoria  
64 inimicam ei fuisse hanc nimium, ferus animo  
65 volat e Cypro sua, adversaque litora Lyciae  
66 nemorosae, et inde pergens freta Carpathia sinit  
67 metuenda navitis, hinc Cnidos oppidaque Jovis  
68 celebrata centum, istinc Lydia dextera fugiunt.  
69 Et ab alto transvolans Aegaei aequora tumidi  
70 patriam Thoantis Lemnum ingreditur saxaque superat.  
71 Vigilem esse eum atque vittatum etiam juvat, etenim  
72 melius soporem adiit, ad quem is ita ora resolvit.  
73 "Placidissime somne, qui cuncta tenes veluti et ego,  
74 humilibus, et altis idem, o domitor deum, et hominum,  
75 age, namque tu potes caelicolum afficere patrem,  
76 mare navigante nato. Et Phrygia ad latera Asiae.  
77 Pete Pana languidum, qui juga ad Arcadica jacet.  
78 Caput illius preme sic, ut sua numina minime  
79 Boream a puella iniqua mihi, pellere valeant.  
80 Ego reddidi semper Pasitheam tibi facilem.  
81 Etiam ista jam attuli (unguentaue odorifera dedit)  
82 genitricis eleganti mihi composita manu.  
83 Age nunc abi citus, sic te perpetua quies,  
84 tenebraeque sempiternae atque silentia foveant."  
85 Capit ille jussu magni Veneris pueri, et adest  
86 subito super dei tempora. Concutit in ea  
87 liquidum papaver, et nympa cadit pariter, ubi  
88 sibi proximum laeti consocium accipere videt.  
89 Iterata post basia lumina eis sopor operit.  
90 At ab alpium recessu in freta se intulit Aquilo.  
91 Etenim ex eo quod arsit, gelidum mare petiit.  
92 Penetravit illud ut flatibus impeteque suo,  
93 face liber esset, at incendia suxit ita fera.  
94 Ita lambit igneam nympham, ita spiritum adhibuit ;  
95 ut aperiat licet guttura, spiret, et abeat  
96 sub aqua algida, nihil denique proficere queat.  
97 Amor improbe, quae deorum quoque pectora penetras ?  
98 Ferus hic adire censet tumidam Pityn iterum,  
99 iterum precari eam supplice voce miseriter.  
100 Sed Apeliotes illum excitat, atque aperit uti  
101 Pitys antra propter Arcas nemorumque Deus erant.  
102 Fremitat Boreas nova ob haec nuntia, talia referens.

103 "Ut agiter, haud opus quod mihi tympana retonent  
104 strepitantia, et querula cornua, cornua querula  
105 tua liber arma, nam sum pater Ogygius ego.  
106 Ego sum impetu deorum Berecynthia genitrix.  
107 Ego Maenas, ego furor ipse, at quid haec mora trahitur ?  
108 Age, dissipa, atque nec mox sequitur, rabidus ita est,  
109 igitur citus Pityn saxa per aspera lacerat.  
110 Superum haec pietate fit Pinus, et ingemit hodie  
111 Aquilone flante, quantum horridus ille, memor adhuc.  
112 Deus o Riphaeae, Maeotice, Hyperboreae, Scythae,  
113 gelidae, nivose, rapacissime, saxifrage, ferox,  
114 rabie potens, potens grandine, fulgure, tonitru ;  
115 deus o vagum domitans aerem, et horrida freta ;  
116 o Aquilo, o Arctoe, o ignifer, o nemori vage,  
117 procul a mea pinu sit furor iste tuus : abi.  
118 Tibi sat sic alterum ejus ramum impetere diu.  
119 Procul a mea silva sit furor iste tuus : abi.  
120 I alias in arbores, i, atque aliud nemus agita.